

Ételére italára költöttem ... .. .	fl.	127.34.
Ácsnak készpénzt adtam ... .. .	»	400.—.
Ételére italára költöttem ... .. .	»	107.39.

29. Summa 2620.89.

(91.) *A vizsgáló bizottság jegyzőjének kezével:*

Fuit omnium expensarum introitus et perceptio floreni nro ... .. . 13,434//30.  
 Exitus seu erogationis summa facit flor. nro 14,563//01.  
 Superat itaque erogatio introitum fl. ... 01,128//71.  
 Ex his fl. 01128//71 septingentos florenos, id est fl. 700 ex propria bursa deposuit, reliquam summam, id est fl. 428//71 relaxavit.

Praemissa omnia bona fide mediante, et ad puritatem conscientiae, imo ad salutem ani —

(92.) mae suae retulit coram deputatis exactoribus Egregius Joannes Gyarmati, cui Deus pro labore et industria benedicat et remuneret. Amen.

Anno 1655. die 20. X-bris in libera regiaque Civitate Cassoviensi referunt deputati, dicto autem Joanni Gyarmati de praemissis . . . has testimoniales et quietantiales dabunt.

Steph. Baxa, Iur. Notar. Comitatus Abaujvariens.

(Abauj-Torna vármegye levéltárában, az 1653—1659. évi jegyzőkönyvek 200 lapja után bevarrva.)

Közli: RÉVÉSZ KÁLMÁN.

## Levelek a göttingai kir. egyetemi könyvtárból.

### 1.

*Adatok az ördögösség történetéhez Magyarországon.<sup>1)</sup>*

A te, magnifice, excellentissime, necnon consultissime domine rector, patrone longe optime, jussus istum casum, qui mihi per Ferdinandum Gallerum liberum baronem ex Styria oriundum accidit, chartae quam brevissime idque *ἀκριβῆλως καὶ ἀνυποκρίτως* illinere, voluntati Excellentiae Vestrae parere ac satisfacere *ὀλοζαρδίως* gestio. Sciat ergo me a Paulo Schuberto, primario pastore ecclesiae Soproniensis in Ungaria ad dictum

<sup>1)</sup> A göttingai kir. könyvtár 1893-ban kiadott kézirati katalógusa szerint e levél Rittershausen Miklóshoz, az altdorfi egyetem rektorához van intézve, a ki 1654-ben és még két ízben viselte e tiszteletet. Hogy ez adathoz kétség alig férhet, a miatt is állíthatjuk, mert e gyűjtemény többi levelei nagyjából Rittershausen Miklóshoz vannak intézve.

Gallerum, tum temporis praeceptoris indigentem, esse missum ab eodem susceptum et generoso suo filio erudiendo praefectum; in quo officio exantlando me tam fidelem exhibui, ut et ipse dominus coram aliis laudaverit mecumque facile contentus fuerit, testibus domino Merzer, Bachat et aliis Kaltenbronnae in exilio viventibus. Quia vero filia ipsius erat gravida (ex quo facile est cogitatu) patrem invenire nesciverunt, me vero utpote miserum, egenum et ab hominibus derelictum eo temeritatis, non quidem palam, quod pessimum, sed clam redigere voluerunt, ut patris partes in me reciperem. Ubi autem viderunt me tale et tantum facinus committere nolle, ex mera desperatione mecum, quasi Judaei cum Christo unico nostro salvatore, procedere non sunt veriti. Et ne Magnificentia putet nugas esse et quisquilias, quae scribo, per circumstantias aliquantulum eidem delineabo. Nam quando uxor ipsius, quae ubi veni ad eum, lethali morbo tenebatur, mortua sepelienda erat in pago, nomine ad divi Martini in Ungaria, ego exequiis et sepulturae eius interfui, et die ante sepulturam eius ego cum domino et filia ipsius ivimus spectatum sepulchrum in horreo positum, inter eundem autem dominus ad filiam dicebat: »O mea filia, nubas ipsi, meliorem virum vix accipies, nam possum ipsi naturam reddere pro arbitrato meo ita, ut satis pro te habeat.« Ad quae verba filia regerebat me praesente et audiente: »Ita parens, modo ipsi suum deum eripere valeam, ut ego eundem habeam. Nam recte adhuc orat, sicut video, nostrum (quid illud fuerit, me latet) non potest ita orare.« Ad haec verba obstupefactus non clara et sonora voce, sed tantum intrinseco mentis conceptu tacite dixi: »Non est alius deus, nisi deus pater, filius et spiritus sanctus, quem colo, veneror et adoro; tu nisi colas illum deum, nolo te, licet sis ornata auro a capite usque ad pedes, sed potius talem, quae vaccas curat, ducam, aut si deus noluerit, plane nullam.« Et et (*így*) statim uterque illorum ceperunt dentibus in me frendere et tertio die post me secum curru Kaltenbronna in Ungaria duxerunt in arcem, quam habuerunt in Styria nomine Walphach. In via autem filia mecum coepit praesente patre joculari et quaerere ex me, num si mihi aliquid daret, acceptare vellem. Ubi respondi: »O mea Baronissa, dicat mihi, quid illud sit, non repudiabo. Tunc nutu patris respondebat: Si mihi conducit et tibi conducet. Et ego statim refudi. Dicat ergo, haud gravatim cordate, quid sit, non renuam certe modo mihi conducit, sed potius grato animo accipiam, ita tamen, ut prius sciam, quid illud sit. Nam ignoti nulla cupido. Illicoque animi sui sensa aperuit, dicendo se mihi daturam tentationes. Ad quod responsum consternato animo dixi: »Quas et quales tentationes

mihi dare cupis? Diabolicas tentationes in nomine Jesu Christi non cupio.« Et quando ita dixi, quieverunt parum a nugis talibus, donec illas cogitationes sinerem ex animo effluere et iterum laeto vultu in campum publicum prospicerem, dicebat ad patrem summissiore voce: »At pater, ipsius natura retrudit meam, mea non potest congruere cum ipsius natura et tamen eam ambit. At si vita Christi, quod alii probaverunt, non sufficit, addam vitam Pauli, ut omnium hominum miserimus evadat.« Quin et addebat: »Ego ero Judas, tu parens sis Herodes et Pilatus, servi sint milites, ipse sit Christus, cum velit nobis esse melior, videbo an Christus, cuius omnipotentia nititur, sit tam potens, ut eam liberare possit.« Haec ubi ubi audivi, risi et pro nugis habui, quibus nihil veri subesse posset, sicut etiam alius quivis fecisset. Sed iam (pro dolor) experior istarum nugarum eventum plus satis. Nam revera, sicut Judaei cum Christo, peregerunt mecum. Dominus me in arce superius dicta heroice vestivit (ibi persuadendo ut superbus fierem, Deum ex oculis et corde removerem, aut ad minimum ita peccarem, ut me deus sua gratia privaret eamque ob causam diabolos, (uti ipsa fassa est palam) in vestes imbannisaverat, qui me aliis praesentibus vel abducerent, vel ad desperationem adigerent. Quia vero nihil plane potestatis in me in nomine Jesu benedicto habere potuerunt mali spiritus, ipse dominus inter coenandum me cultro percutiare (*így*) voluit, sed domino obstante non potuit, et suos famulos famulasque et rusticos instigavit, ut tumultum mecum instituerent. Quo etiam factum est, ut tum statim dominus accurrit et clavi marsupio suo alligata mihi caput aperuit et sanguinem elicuit, quo me rursus conspersit et baptisavit in nomine diaboli, neque tamen id mihi nocere potuit ob Christi baptismum. Item me plane inedio tollere voluerunt et amphora quadam plena vel aqua vel vino manibus expansis, sicut Christum videmus a cruce pendentem, discussit mihi cerebrum in partes et multum mihi in nomine diaboli incussit, quaerendo ex me inter percutiendum, num cedere vellem (subintellige: diabolo)? Sed ego instinctu spiritus sancti clamavi alta voce: »Jesu suscipe spiritum meum.« Et quando ita clamavi, volui supinus cadere et expirare, illa vero filia dixit: »Er hebet noch etwas, nun wil ich ihn haben, habe ich ihn doch nicht bezwingen können, dass der Kerl so einen starken Gott hat« et catenis me illigarunt per noctem et sequente die immisericorditer per scalas traxerant deorsum in porticum, ubi me vestibus exuerunt et ita dimiserunt, spe vana freti, ut diabolus mihi imbannisatus collum circum torqueret, vel ad desperationem adigeret. Sed deus per Christum hactenus me ab omnibus malis, tum quoad cor-

pus, tum quoad animum immunem servavit, idem ut et imposterum me clementer sospitet et beet, summopere rogitō. Neque timeo diabolos, sed gaudeo, quod deus tali honore me dignetur, ut cum diabolis pugnem et in nomine Jesu victoriam reportem. Et si hoc praelium obtinuerō, non per me, sed per Jesum Christum et alterum cum hominibus Christi adversariis, obtinebo deo volente. Non despero, sed spero et credo, quod per Christum omnia possim, licet quo ad corpus vel maxime a catholicis comburam. Det deus mihi robur et cor constans in fide Jesu veri filii dei et Mariae ita, ut secundum illam fidem sancte et infucate vivam usque ad mortem.

Valeat Magnificentia vestra, vivatque quam diutissime salva et incolumis, mihiq̄ue misero Lazaro faveat. Valeat iterum in Jesu Christo.

(Névaláírás, külczím és pecsét nélkül.)

## 2.

*Scheringer György magyar lutheránus lelkész levele.*

Magnifice, excellentissime, clarissime doctissimeque domine! Quam durum sit paupertas (*így*) telum, quamque grave cervici injacens jugum, non ego tantum, sed et eruditissimorum quidam olim iam de eodem conquesti sunt jugo, inter quos ingenuosus ille Alciatus in Emblematis suis (quae tamen illustris Scaligeri iudicio talia sunt, ut cum quovis ingenio certare possint) hunc in modum de paupertate queritur:

Dextra tenet lapidem, manus altera sustinet alas,  
Ut me pluma levat; sic grave mergit onus:  
Ingenio poteram superas volitare per arces,  
Me nisi paupertas invida deprimeret.

Quam ferme et ego cum novercantis fortunae insultibus, longeque a patriis Laribus remotus experiri cogor sortem, qui postquam Argentinae per biennium fuerim commoratus, tandem vero patriam visitandi gratia iter suscipiens, in tantam, (nescio quo fato) incidi corporis infirmitatem, ut omnia quaecumque habui, consumere coactus fuerim, ut pro tempore summa (proh dolor) paupertate pressus, mihimet ipsi consulere penitus impar siem. Quapropter auxilium Magnificentiae Tuae diffluentibus imploro oculis, dignetur obsecro egeno subsidio, aut scheda intercessionali, ut a dominis studiosis dominorum doctorum professorumque epulis accumbentibus subsidium exorare audeam, praecurrere, quod in me collatum beneficium Deus ter optimus

maximus aeterna beatitudine recompensabit, ego vero indefessus meis ad deum precibus illud demereri ut valeam, in dies studebo.

Magnificentiae Tuae

subiectissimus  
*Georgius Scheringer*  
pas[tor] Hung. A. C.

Si forte aliquod tritum par calceamentorum (salva venia) vel tibialium adfuerit, Magnificentiam auxiliatorem submisso oro.

(Külczim és pecsét nélkül.)

Közli: D. L.